

CONSULTATION

LE JEUNE DES FEMMES

Au sujet du jeûne des femmes, voici la consultation adressée à Rome par Son Eminence le cardinal Bégin:

DUBIUM EXPONITUR.—“Quonam ætatis anno incipiat unicuique et finiatur obligatio jejunii, sic statuit Codex Juris Canonici, can. 1254, parag. 2: “Lege jejunii adstringuntur *omnes* ab expleto vicesimo primo ætatis anno ad inceptum sexagesimum.”

“De viris vera nulla exsurgit controversia; sed de mulieribus alii aliam jam tenent sententiam.

“Dicunt quidam: Probabile est etiamnum mulieres, statim ut quinquaginta sint annos natæ, jejunii lege exemptas esse. Cum enim nova lex veterem legem referat, “ex veteris juris auctoritate,” juxta canonem 6, 2^o, “et ideo ex receptis apud probatos auctores interpretationibus,” est æstimanda. Porro, vetus dum vigeat jus, mulieres, quia citius senescunt quam viri, lege jejunii *probabiliter* non adstringebantur nisi ad inceptum quinquagesimum ætatis annum, ut theologi docebant aliqui. Eadem ergo admittenda est in hodierna lege probabilitas; et quia imponenda non est obligatio de qua non certe constat, mulieres quinquaginta annos natæ jejunare non tenentur.

“Respondent autem alii: Ista vix unquam exstitit probabilitas. Etsi mulieres citius senescunt quam viri, eas tamen certum est melius valere a quinquagesimo anno ad sexagesimum quam a quadragesimo ad quinquagesimum; imo melius valere a quinquagesimo ad sexagesimum quam ipsi viri.

“Cæterum, si forte concedendum sit mulieres quinquaginta annos natas, fuisse, jure veteri vigente, a jejuniis saltem secundum probabilitatem exemptas, concedendum quoque exinde est novam legem a veteri aliquo modo discrepare, et ideo qua discrepat, ex sua ipsius sententia esse